

1803

C O D I C E S

1804

qui fuit *Episcopus Pietauiensis*; *Frater Richardus de Media Villa*, *Frater Johannes Scotus famosissimus et subtilissimus*, *Frater Alexander de Alexandria*, qui fuit etiam *Minister generalis*, quem, ut discernatur a primo *Alexandro*, cognomino *Lombardum*, et illum primum cognomino *Anglicum*. De alio autem ordine fuerunt duo scilicet de ordine *Praedicatorum Frater Thomas de Aquino etiam famosissimus*, et *Frater Petrus de Tarentasio*, qui fuit *Papa* (*Innocentius V.*) *Aliquid etiam recepi de Quodlibetis Magistri Heinrichi de Gandauo*. *Doctores vero Juris canonici*, ex quibus plurima sumpsi, fuerunt etiam isti, scilicet *Bernhardus* (de *Montemirato Compostellanus*) *compilator Apparatus ordinarii Decretalium*; *Innocentius Papa quartus*, qui fecit *Apparatum Decretalium*; *Hostiensis* (*Henr. de Segusia*) *Goffredus* (*Galfredus*, *Ganfredus de Trano*) quorum uterque fecit *Summam et Apparatum*; *Guillelmus Durandi*, qui fecit *Speculum iudiciale et Reportorium*; *Garfias* (*ICTus Hispal.*) qui fecit *Apparatum super Decretales Gregorii decimi* (lege IX.) *Johannes Andree*, qui fecit *Apparatum super VI. Decretalium*; *Bartholomaeus Brixienfis*, qui fecit *Apparatum super Decretum*; *Raymundus* (de *Pennafort*) et *Rodonensis* (*Guil. Rhodonensis O. P.*) qui fecit *Apparatum super Raymundi Summam*. Praeterea, quae *Astexanus* a *Librariis* suis petit, adscribam: *Moneo*, ut in principio

tituli semper litera prima fiat magna litera de minio et auro, et in principio cuiuslibet articuli, nisi forte primo, fiat paragrafus insignis, seu duplex, seu cum aliquibus floribus, ut initium articuli facilius discernatur. Egi de eo in *Memorab. vernac. Biblioth. Garell.* P. I. p. 44. 4. Alia quaedam refert *Mazzuchellius in Scritt. d'Italia Vol. I. P. 2. p. 1184.* ubi tamen *Card. Joh. Cajetano de Ursinis* perperam substituitur *Card. Jacobus Cajet. de Stephanescis*. Ceterum miratus sum semper, a nemine *Autorum christianum Summistae nostri nomen prodi*; *Astexanus* enim manifeste *πατρωνυμικον* tantum est ab ejus urbe natali *Asta*, et ut *Summa* ejus recte dicatur *Astexana*, quemadmodum alia similis *Pisanella* dicitur, non tamen inde inferas, ejus *Autorem Pisanellum* vocari, qui *Bartholomaeus* fuit.

DCCLI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1124 XIV. Folior. 121. 4. per duas columnas luculente exaratus, minio distinctus, et quondam *Collegii Vienn. S. J.* ab *Indice alphabetico* auspiciatur, qui inscribitur: *Incipit Summa Casuum*. Hunc *Rerum Indicem* consequitur alius *Capitulorum*, quae numero sunt CC. XLVIII. quorumque primum praenotatur: *Quare penitentia Tabule comparetur*, ultimum vero: *De penitentia Scandali*. Init Opus: *Cum miserationes domini sint super omnia opera eius. misericordiam*

am tamen suam super homines amplius extendit. &c. Cap. II. prae-mittitur is dicendorum Ordo: *Primo considerandum est quid sit penitentia. Secundo quid sit peccatum et quot sint eius species. Tertio que sint peccata et quot pro quibus iniungenda est penitentia. Quarto quis et qualis debeat esse qui penitentiam debet iniungere. Quinto quis quibus et pro quibus possit et debeat penitentiam iniungere. Sexto quomodo sacerdos debeat se habere in audiendo confessiones &c. Septimo et ultimo que penitentia et satisfactio cui peccato sit imponenda.* Haec prolixius descripsi, ut inde fortasse Lectorum quispiam in Autoris notitiam ducatur, quem ego in tanto *Summarum* et *Confessionalium* numero non dispicio. Religiosi illum Ordinis haud fuisse, suadet illud, quod de Religiosis, tanquam de alio hominum genere, passim loquitur. Ita narrat fol. 44. b. Cap. CXIII. *In quodam cenobio infirmus erat monachus, et in tanto calore erat, quod uidebatur ei, quod suffocaretur, nisi cuculla deponeretur. Prior autem nullo modo sustinuit, quod sine habitu iaceret, Dixit quidam medicus, qui praesens erat: Iste suffocabitur, nisi cuculla ab eo ad tempus auferatur; nec iterum prior permisit, et ita suffocatus mortuus est ille. Vnde uirquidam bonus et prudens dixit priori: Nonne fratres uestri quandoque balneantur et tunc uestes deponunt? Quare non similiter, cum monachus est in le-*

*to et fetore sudoris, sua uestimenta potest deponere? Et non potuit prior ad hoc respondere. Credimus igitur, concludit, quod monachus obedientiam non soluit, si habitum suum in tanta necessitate deponit. Quid uero, si absque necessitate? — Fol. ult. adiectum est Schema ordinandi Anni ecclesiastici, e quo liquet, Codicem non multo post an. MCCCXIII. scriptum fuisse. Adiectae voces: *Requiem eternam* impositis notis musicis, et vernacule minio fuscipsum: *Ruer dich held!**

DCCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 2089
XIV. Folior. 187. f. multis vocum compendiis exaratus, rubroque distinctus praeligatam habet foll. 2. *Εισαγωγή* quandam in *Psalterium Davidis* antecedente hujus *Pictura* lineari, et sequente feliciter expressa *Facie τῆς Σωτηρίας*. Ejus initium: *In secularium librorum scientia considerari solet, cui potissimum philosophiae speciei quisque liber subponatur Philosophice scilicet, an Ethice, an Loyce. similiter et in diuina pagina &c.* Postea vero: *Incipit. pastorale. nouellum. Rudolphi.* Est illud tributum in *Libros VI.* quorum I. agit de Baptismo, II. de Eucharistia, III. de Poenitentia, IV. de Peccatis, V. de Sacramento Ordinis, VI. de Matrimonio, et quidem carmine, ut hic ingressus docet: